

- bium vertitur, aut à pluribus non asseritur, ut faciunt Doctores utriusque sententiæ, ut supra notatum est; hinc fit quod licet aliqui Doctores dicant pro certo extare hanc Consuetudinem, nihil probent *Cerro d. 551. n. 11.*
- 45 Sicuti neque absolutè admittendum est, quod dicit aliquis pro prima sententia, non esse necesse, quod à principio ceperit Consuetudo, animo se obligandi sufficere autem si successivè hac intentione aliqui prosequantur, quod non nego, sed neque negari potest, quod non sit necesse, quod ceteri pro tempore prosequentes, saltem pro majori parte sciant, & intendant eas actiones praticare cum onere obligationis sub mortali, & sic consentiant cum hac qualitate, ut ex communi ostendit *Mascard. de probat. concl. 423. num. 30.*, & consequenter asserentes hanc Consuetudinem debent eam probare cum hac qualitate, nempe Moniales scienter, & non per errorem consensisse in hac Consuetudine, cum hoc onere, & animo, *Coccin. decis. 155. n. 17.*, nam actus erronei dicuntur carere consensu, *Merlin. decis. 106. num. 10.*, & in hoc deficiunt, qui postea excefferunt vocando *temerarios*. Viros prudentissimos; propter quod *Mascardus* in hac materia singularis *dicta Concl. 423.*, firmat hanc consuetudinem qualificatam esse difficilis probationis, quæ omnia semper comprobant non temerè Doctores aliquos negasse hanc Consuetudinem nunquam probatam.
- 46 Noto quartò, quod plures Doctores primæ sententiæ ex professo loquuntur de Regularibus masculis, deinde restricta periodo inducunt ex paritate rationis consuetudinem eamdem obligatoriam in Moniales; Quæ tamen paritas bene consideranti non intrat, nam Doctores ut plurimum, ut Regulares versantur in Claustris Regularium, sicque facilius possunt dignoscere, quæ à Confratribus, vel Consortiis fiunt, at non sic versati sunt in Claustra Monialium; unde intrat semper regula supra allata, quod Doctore attestanti de Consuetudine in loco, in quo non est versatus, non creditur, ac nihil probet, & differentiam ex constitutionibus Religionum, notat *Alfonfus de Castro de lege penali lib. 1. cap. 8. columna 3. Vers. Aliter tamen de fratribus.*
- 47 Neque dicunt quomodo noverint Moniales privatim recitari sub obligatione, & si

dixeris, quod noverint, vel ex auditu, vel quia forsan earum confessionem audiverint corrui facile dictum, quia ex auditu testis nihil probat, quia debet deponere per proprium sensum *Can. testes 3. q. 9.*, & deberent dicere à quo audiverint ex allegatis per *Conciol. resol. Criminal. Ver. testes quo ad dicta num. 11.*, quod verò dicitur forsan audivisse earum Confessiones, dictio forsan rem reddit dubiam, & sic nullius momenti, *Tusch. littera D. concl. 281. ex l. Gallos S. Forstan ff. de libe. & postb. l. 1. §. si quis nesciat ff. de Juris, & facti ignor. l. Julia 2. ff. de ritu nuptiarum.*

- 48 Accedat quod Ecclesia, quæ plures damnavit propositiones tamquam temerarias, & scandalosas, hanc non damnavit, quod si damnaret, tunc promptissimè Ecclesiæ Judicio quæcunque scripsi omnimodè submitto, sed ipsi non habent tantam auctoritatem, quàm sibi usurpant.
- 49 Noto quintò, quod dato, pro ut dicunt aliqui ex prima sententia, quod ceperit hæc consuetudo devotionis gratia, & tamquam ex actibus facultativis sequitur, quod etiam per mille annos actus facultativi praticati scienter, nullam inducunt consuetudinem obligatoriam, & communissimè sentit *Rota Merlin. decis. 106. num. 8.*, ubi allegantur plures decisiones Rotalis, *Thom. del Bene de Immun. tom. 2. cap. 12. dub. 13. num. 20.*, *Barbosa de potestate Episcopi alleg. 26. num. 20.*, *Lotber de re benific. lib. 2. q. 31. num. 27.*, *Gambara de officio legati lib. 2. num. 127.*, & *seqq.*, *Leoncil. decis. 46. num. 19.*, *Bartol. in l. quominus num. 27. ff. de fluminibus*, *Pasqualig. qq. moral. Canonic. 95. num. 8.*, *Abbas in c. Abbate num. 10. de verb. signific.*, At si per ignorantiam, aut errorem aliquando post ea ceperint praticantes credere se facere ex obligatione, neque inducitur consuetudo obligatoria maxime in foro conscientiæ, quia *errantis nullus est consensus l. si per errorem ff. de Jurisdic. omnium Judic. latè Barbosa axioma 82. num. 1.*, & 2.

Quare quocunque severtant, semper patet, quod Auctores secundæ sententiæ negantes hanc asseritam consuetudinem non merebantur, adeo ignominiosa temeritatis nota dehonestari, prudenter autem loquuti sunt qui scripserunt sub conditione, si detur asserita consuetudo.

50 Attamen *Petrus Marcantius* iterum *tomo 3. suorum operum casu 30. folio mibi 124.*, & *seqq.*, coactus fuit suam sententiam novis fundamentis defendere, ex quo mordaciter laceffitus à *R.P. Ludovico Bertrando lotb. Ordinis Prædicatorum*, fuerit conclamatum ad arma contra ipsam, vocando *temerariâ scandalosam &c.*, sine sufficienti fundamentamento sine ratione, sine auctoritate, contra torentem Theologorum editam, non tamen, *dictus Pater Lotb.* consuetudinem concludenter probat, nec validum exhibet fundamentum pro se.

Ad confirmationem autem suæ sententiæ *Marcantius* refert duas declarationes Pontificias unam *Eugenii IV.*, alteram *Leonis X.* tenoris videlicet.

51 *Eugenius ad Regulas Monialium Sanctæ Clare* hæc habet (cum in 3. cap. *Regulæ Monialium* babeatur præceptum de horis canonicis recitandis sub mortali, Pontifex ait) Cum nos id nimis durum, & periculosum judicemus, auctoritate, ac tenore præsentium declaramus, & volumus, quod in nullius transgressione prædictorum præter quam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota Obedientiæ scilicet, Paupertatis, Castitatis, & Clausuræ, & sub electione Abbatis, & depositione, peccatum mortale incurrant.

52 *Leo x. in declaratione, quàm fecit pro fratribus, & sororibus tertii Ordinis Sancti Francisci*, sub tribus votis solemnibus in Congregatione viventibus, præter Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, & Clausuræ, in cap. 10. Regularium declarans, Pontifex, ait (omnia, & singula in presenti regula contenta esse consilia ad facilius salvandas animas viatorum, & nulla esse obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humano, divino Jure aliquis alias esset obligatus.

Ex quibus clarissimè, & ad litteram patet, qualiter Summi Pontifices studuerint tollere obligationem sub mortali in transgressionibus eorum, quæ expressè habentur in regula, nec scandalum asserere existimarunt, quasi ex talibus declarationibus diminendus esset divinus cultus, quanto magis id debet dici in iis, de quibus non est lex scripta, nec certa, neque communis est consuetudo; unde de Doctorebus adeò mordaciter imponentibus onera recitandi horas canonicas extra Chorum sub mortali,

forfan dici possit, quod imponunt onera gravia, ut videantur ipsi perfectiores, non attendentes, quod jugum Christi suave est, & onus leve.

53 Et ut revertamur ad fundamentum Doctorum primæ sententiæ, quod totum est in multitudine, & numero Doctorum. Primò observo, quod est ab extrinseco, & inter genera probationum cæterorum levissimum, cum multoties plures tamquam oves sequantur præcedentem, nec examinant difficultatem. Secundò, quia Imperatoria auctoritate habemus in *l. & carmen §. fin. ff. de testibus*, non ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, sed ad testimonia, quibus lux veritatis afflucit.

54 Tertio, quia non solum sententia redditur probabilis ex majori numero Doctorum, sed ex rationibus, & fundamentis, unde paucorum sententia poterit esse æquè, vel magis probabilis, si meliori, vel æquè probabili fundamento nitatur, ad quod *Sanchez. ad decal. lib. 1. c. 9. num. 9.*, *Pasqualig. decis. 360.*, *Quintanaduen. de celebrat. missar. singul. 17. num. 1.*, & 2.

55 Quarto, quia certum est inter testes alios affirmantes, alios negantes factum, illis etiam si paucioribus magis credendum est, quibus Jus afflucit, & pro quibus stat, aut naturalis, aut Juris præsumptio ad late allegata per *Guacin. ad defensam reorum defens. 29. cap. 3. num. 13.*, *Carena de Sancto Offitio p. 3. tit. 9. num. 10.*, *Bossius pract. tit. de defens. reorum num. 30.*, *Farinac. Consil. 22. num. 6. lib. 1.*, & in *prax. q. 65. num. 154.*, *Conciol. resol. Criminal. V. negativa resol. 4. n.*

4. Deinde clarum est in Jure, quod obligatio non præsumitur neque naturaliter, neque legaliter, sed præsumptio stat pro libertate, & pro non obligatione; unde negare sufficit obligationem absque alia probatione, ubi è contra asserens obligationem tenetur eam concludenter probare, alioquin neganti obligationem magis creditur propter Juris assistentiam, *Cerro decis. 931. num. 4. decis. 856. nu. 8.*, *Coccin. decis. 1834. num. 17.*, *decis. 2138. num. 27. decis. 1502. n. 23. decis. 2126. num. 7. 8. 12.*

56 Cum ergò Doctores secundæ sententiæ negant Consuetudinem obligatoriam in hoc casu habent Juris assistentiam, quia Consuetudo obligatoria est quid facti, nec ul-

latenus præsumitur sequitur, quod eorum testimonio magis standum, & credendum sit, quam affirmationi Doctorum primæ sententiæ, qui non probant certo, & concludenter assertam obligationem, videant ergo quantum exceßerint vocando sententiam negativam *temerariam*, & scandalosam, & quam gratis præsumant sententiam affirmativam esse probabiliorē.

57 Contingit quandoque, ut aliqua Monialis prætendat suam professionem in religione fuisse nullam, vel quia vi, & metu professa fuerit, vel ex quocunque alio capite, neglexit, tamen ultra quinquennium dicere de nullitate, pro ut præscribitur à Trident. sess. 25. cap. 19. de Regul., & Monial. & in casu practico quærebatur de remedio.

V O T U M.

Accidit, ut Monialis Convertita postquam per decem, & octo annos perseveraverit in Monasterio, emissa solemni professione, tandem Diabolicæ cedens tentationi habito tractatu, & fide contrahendi matrimonium cum quodam milite, de quo verificabatur illud (*nulla fides, pietasque viris, quæ castra sequuntur*) dimisso habitu religioso, exiit de Monasterio, & ab illo affortata fugiens in exteras regiones, conati sunt se occultare, ac per plures dies cohabitantes, ac turpiter se invicem imiscentes, tandem diligentia, & zelo eorum ad quos talia punire delicta spectabat, quæsit, reperti, arrestati, Principe ad cuius ditionem confugerant manus dante, revocati in Civitatem, carceri mancipato milite, Moniali in alio loco tuto, honesto, & prout status requirebat, clausa fuit, quæ examinata, confessa fuit, se militem illum sollicitasse, eique pecuniam ad fugam subministrasse, fidem de matrimonio contrahendo requisivisse, eo quia certo existimabat suam professionem fuisse nullam, tum quia vi, & metu emissam, tum quia non fuit servata forma Trident. aut Juris communis, de integro anno novitiatus servando, neque servatis constitutionibus Conventus Convertitarum, ac propterea inibat sibi terminum habilem concedi, ad probandam nullitatem professionis, & ad hoc reportandam restitutio-

nem in integrum ab Urbe.

58 Pro parte Fisci dicebatur hunc terminum ad probandam nullitatem non esse concedendum, quia cum non reclamaverit infra quingennium Concil. Trid. dicto cap. 19., denegat audientiam, ibi non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & latè probat Barbosa in *Votis decisivis lib. 2. voto 40. num. 6., & seqq.*, quia elapso quinquennio, extincta est omnis actio, quæ pro prætensa nullitate competere poterat, & quinquennio elapso, orta est præsumptio Juris, & de Jure, quæ non admittit probationem in contrarium, quatenus præsumitur professionem ratificasse, tum quia obligatio spiritualis, seu vinculum illud spirituale quo religioni constricta est, insolubile est, & non nisi per Papæ dispensationem singularem dissolvitur, quæ non conceditur, nisi ex magna causa, & pro re gravi, & bono publico, quæ non concurrunt in hoc casu.

59 Tum quia causa scilicet, quod vi, & metu professionem emisit, non est verisimilis, & multo minus, quod duraverit usque ad hoc tempus; unde si causa etiam fuisset à principio, deinde cessavit, nec reclamavit, hodie est sine remedio, nec conceditur restitutio in integrum ad notata per Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 37. nu. 26., ubi non datur restitutio in integrum, nisi saltem summarie probet illatam vim, & metum Corad. *prax. dispensat. lib. 5. cap. 14. num. 15. 16. 24. 40., & 41.*, & fuisse cadentem in constantem virum, & durasse, & antea non potuerit reclamare alioquin præsumitur ratificasse cap. 1. de iis, que vi, metus ve causa fiunt, alias suspitio metus cessat l. penult. ff. de condict. ob turpem causam, l. 2. C. quod metus causa, cap. cum virum, cap. significatum de regul., Barbosa in dicto cap. 1. num. 10., & notat Corad. locis supra citatis, quod cum nullatenus verificetur in facto, idè eatenus de præsentidicat de nullitate, quatenus cupiat quærere medellam vulnere, nempe fugæ, & enormitatibus quibus maxima notatur infamia, & cessat restitutionis beneficium.

60 Tum quia Monialis professa præsumitur, tum ex longo tempore decem, & octo annorum quo morata est in Monasterio post solemnem professionem emissam semper habitum Monialium professarum deferendo;

do; certum est enim, quod ex vestibus, & habitu talis iudicatur l. item apud Labonem §. si quis virgines ff. de injuriis, cap. in Audientia de sententia excommuni.; exceptio autem Novitiatus non completi per annum, cessat ex individua Pontificis dispensatione, & ex specialia exceptione in Trident. sess. 25. cap. 18. de Regular., Ricciul. de personis, quæ in reprobo statu versantur lib. 2. cap. 38. num. 4., & 5.

61 Tum quia pro parte militis sotii criminis talis probatio nullatenus prodesse potest, quin capitali sententia damnetur juxta tex. in c. si quis rapuerit Auth. Sanctiss. Episcopi col. lat. 9., reportato à Gratiano in canon. si quis rapuerit 27. q. prima, tum quia ejus intentio fuit violare carnaliter Sancti monialem Deo sacratam, unde plura delicta commisit, nempe Adulterium, incestum, & sacrilegium ad notat per Glos. in can. Virginitibus 27. q. 2., Sperell. decis. 137. num. 6. 7. 8., ubi nu. 19., quod etiam circumscripto raptu violans Monialem pœna mortis afficitur, ubi num. 27., quod cum lex si quis, & can. si quis rapuerit loquantur alternativè, idèst rapuerit, aut sollicitaverit, aut corruperit, inde sufficit unus ex prædictis actibus ad incurrendam pœnam ejusdem legis Franc. Marc. decis. 966., vel etiam si Monialis non est virgo, sed alias corrupta, ut notat Bossius pract. Criminal. tit. de coitu damnato sub num. 97. vers. sed quæro modo, an quando Monaca non est Virgo, quia textus requirit tantum, quod sit Monacha, sicuti filius ex tali Coitu natus dicitur spurius ad allegata per Filippum Decium Consil. 305. n. 3., & 4., tum quia ad incurrendam hanc capitalem pœnam sufficit attentatum, ut est tex. expressus in l. si quis non dicam rapere C. de Episcopis, & Cler., ubi Barbosa, quod cum ex hac l. expressè puniatur conatus, etiam effectu non sequito, cessat quæstio adèd à Scribentibus exagitata, an de Jure puniatur, vel de consuetudine non puniatur affectus delinquendi, etiam si deventu sit ad actum proximum, non sequito effectu pœna ordinaria; immò ex hoc tex. dicebam probari posse de Jure non puniri attentatum non sequito effectu pœna ordinaria, sed tantum extraordinaria, quia quando Jus voluit attentatum puniri pœna ordinaria, hoc expressit, ut in hac l. si quis non dicam rapere, quæ de verbo, ad verbum

reportata est à Gratiano in Can. si quis non dicam rapere 36. q. 2., Sperell. dicta Decis. 137. num. 29. 30.

62 Constat ergo tam contra Monialem, quam contra Militem ortam esse præsumptionem Juris; & de Jure, contra quam non admittitur probatio, nec datur iusta causa restitutionis in integrum, unde nec expectanda, quia nimis protraheretur Justitiæ administratio in grave incommodum fori laicalis; tum quia in atrocissimis, puniatur affectus etiam non sequito effectu, ad allegata per Pegueram Decis. 7. num. 8., hæc, & alia plura pro parte Fisci allegabantur.

63 Contra Fiscum ad defensionem Monialis dicebam, non posse de Jure denegari assignationem termini habilis ad impetrandam restitutionem in integrum adversus lapsum Quinquennii ad effectum probandi nullitatem suæ professionis, eo quia cum hoc spectet ad defensionem, quæ Reis competit de Juræ Naturæ, ad allegata per Farinac. q. 99. num. 132., & Consil. 16. num. 26. Guazin. defens. 28., cap. 4. num. 2., Conciol. resol. Crim. V. Probatio resol. 2., & probatio nullitatis Professionis Monialis prodesse potest etiam Militi, qui cum ea turpiter se commiscuit, dum probato, quod illa non sit revera Monialis, & consequenter non sit Persona Deo immutabiliter Sacrata, neque verificatur, qualitas sacrilegii requisita à lege in Delicto pœna capitali puniendo, ad notata per Decian. tract. Criminal. lib. 6. cap. 14., idèdque Farinac. q. 146., semper loquitur de Monialibus; Vel Pizzocaris, quæ non per simplicem habitus dilationem, sed per veram, & validam professionem, sint immutabiliter, & perpetuo Deo Sacrata ad allegata per Fr. Petrum Marcant. in Trib. Sacramentorum tom. 3. trac. 5. tit. 2. q. 8. Advert. 3. 4., & 5., ac propterea, Decian. d. lib. 6. cap. 20. dicit, ad hoc ut sit sacrilegium debere esse personam Deo sacratam; admittendæ autem sunt defensiones, quæ de consequenti possunt prodesse correis ad allegata per Conciol. resol. Crim. in Ver. Articuli resol. 1., Guazin. defens. 28. cap. 4.

64 Qualitas enim sacrilegii, quæ est Fundamentum Fisci, & concludenter probanda, Conciol. in V. qualitas resol. unica nu. 7., alias competit reis exceptio relevans, Graff. de except.